



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad
proxim accommodatas

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

§. 4. Qui, & quales sint pauci Recentiores Scriptores, qui communem de
probabilitate doctrinam impugnant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40873

92 Pars 3. tract. 1. De Opinionum probabilitate
Hinc quoque manifestum est , probabilitatis
defensores non metiri opinionis licitum usum ,
aut probabilitatem, ex solo Authorum numero.
Multò minus passim docere , Illud omne esse
practicè certum, quod est speculativè probabile,
quod aliqui ipsis imperitè affingunt. Denique
probabilitatis Accusatores omnes transcendere
voluit illi qui asserit, *Probabilistas plus sibi attribue-*
re , quam attribuunt Pontifex , Ecclesia , ac ipse Deus.
Nemo hoc crederet qui Theologorum moderno-
rum doctrinam communem intelligit.

S. 5.

*Qui & quales sint pauci Recentiores Scriptores, qui
communem de probabilitate doctrinam
impugnant.*

Confirmato usu recto opinionis probabilis
tam ratione, quam authoritate inexpugnabi-
li , ac dissolutis adversariorum argumentis :
restat nunc demonstrandum quam invalida sit
authoritas ac conatus paucorum Scriptorum qui
postremis hisce temporibus communem omni-
ævo doctrinam impugnare cœperunt.

Magno impetu improbabilitatis Authores in-
furrexit Montaltius in suis Epistolis, quas vocat
Provinciales, Wendrochius in Notis ad Episto-
las Provinciales , quibus disputationem de pro-
babilitate annexuit ; ac Paulus Irenæus in suis
Disquisitionibus. Sed quam infelix fuerit horum
trium conatus eventus docuit. Montaltij Epis-
tolæ Provinciales condemnatae sunt, ac legi au-
retiner prohibitæ per Bullam Alexandri VII. da-
tam 6. Septembris anni 1657. quæ etiam Lovo-

nij publicata fuit. Wendrochij liber, cum opere dicti Montaltij, ac Irænei, flammis publicè traditus est decreto Regis Galliæ edito Parisijs 23. Septembris 1660. Decretum illud antecessit contra hos trium viros, Censura plurium Episcoporum, Doctorum, ac Professorum Facultatis Parisiensis 7. Sept. 1660. quæ declarat in eorum scriptis propugnari hæreses Jansenianas ab Ecclesia damnatas, eaque passim scatere maleficentiam, ac petulantiam quâ nulli hominum conditioni parcunt: Ac proinde decernit Opus illud esse dignum pænâ libellis famosis à Jure constitutâ.

Scripsit quoque Vincentius Baronius librum; qui inscribitur *Theologia moralis, adversus Probabilistas.* Contra illos etiam stylum armavit Thomas Hurtado in suis Resolutionibus Moralibus. Sed quam hi parum solidis nitantur principiis vel inde satis prodiderunt, quod uterque in plurimas ex propositionibus ab Alexandro VII. damnatis impegerint, ut apertè detexit D. Nicolaus du Bois in Tractatu pereruditio quo dictas propositiones elucidavit, & suis quamque Authoribus adscripsit. His accessit gallicè *Theologia quædam Moralis* edita sub nomine Curatorum Franciæ, quæ adeò imperitè ab ipso Controversiæ statu aberrat, ut nec sibi, nec prædictis Authoribus satis cohæreat. Multa quoque contra probabilitatis usum suo Sauli Exregi inferuit Eximus D. Sinnichius, sed ista D. Guilielmus le Maire fusè eventilavit. Inter Iurisconsultos pridem, Illustrissimus Prosper Fagnanus adversus probabilitatis usum calamum strinxit; Antonius quoque Merenda Iurisconsultus, in suo libro de Consilio, eandem doctrinam vehementer impugnat. Quamyis non videatur Fagnanus

94 Pars 3 tract. I. De Opinionum probabilitate
nanus omni probabilitati absolutè adversari ,
dum num. 448. sic resolut : Authoritas unius
gravis Doctoris reddit opinionem probabilem ,
& est fundamentum sufficiens eam tenendi , &
, ad praxim deducendi , si in contrarium nullus
,occurrat Doctor , & utrimque sint rationes &
,quæ probabiles.

Postremò , Benignam sententiam oppugnavit
Julius Mercurius Mantua Inquisitor in sua Basi
Theologiae Moralis , qui in hac Controversia dis-
cutienda sedulus & moderatus fuit , nec in praxi
à sententia communi multum recedere videtur.
Adeo ut apud Wendrochium illi obiiciatur , to-
tum ex illius assertis efficaciter stabiliri , quod in
aliis reprehendit , ac proinde illum in *appendice de*
probabilitate , *ex professo* impugnat. Sed nec Wen-
drochij doctrinam ferre potuit ipse Vincentius
Baronius , quam insectatur part. 2.a. pag. 340.

His æquâ lance perpensis facile est judicare ,
hos paucos Scriptores , nec omnes sibi constan-
tes , nec inter se in oppugnando probabilitatis
usu cohærentes fuisse. Nec videtur quisquam
habere conditiones à nobis supra requisitas , ut
unus Author novus reddat opinionem suam
probabilem contra communem aliorum senten-
tiam. Veniemus nunc ad Particulares sententias
de quarum probabilitate , hoc tempore disputa-
tur , aut aliquando disputatum fuit , ut de statu
& ratione controversiæ constare possit.

CON-